

Prof. Dr. Ulrich Eigler
Seminar FS 10
Skolaven und Sklaverei in der Lateinischen Literatur



Grabmal des Grossbäckers Eurysaces und seiner Gattin, ca. 30 v. Chr., an der Porta Maggiore in Rom

Text 1: Mart. 10, 27 (ed. D. R. Shackleton Bailey, Stuttgart 1990)

Natali, Diodore, tuo conviva senatus
 accubat et rarus non adhibetur eques,
 et tua tricenos largitur sportula nummos.
 nemo tamen natum te, Diodore, putat.

siehe dazu Mart. 8, 64

Text 2: Hor. *sat.* 1, 6, 45-52 (ed. D. R. Shackleton Bailey, München/Leipzig 2001)

Nunc ad me redeo libertino patre natum,	45
quem rodunt omnes libertino patre natum,	
nunc quia sim tibi, Maecenas, convictor, at olim	
quod mihi pareret legio Romana tribuno.	
dissimile hoc illi est, quia non, ut forsit honorem	
iure mihi invidet quivis, ita te quoque amicum,	50
praesertim cautum dignos adsumere, prava	
ambitione procul. (...)	

Text 3: Hor. *carm.* 3, 30 (ed. D. R. Shackleton Bailey, München/Leipzig 2001)

Exegi monumentum aere perennius
 regalique situ pyramidum altius,
 quod non imber edax, non Aquilo inpotens
 possit diruere aut innumerabilis

annorum series et fuga temporum. non omnis moriar multaue pars mei uitabit Libitinam. usque ego postera crescam laude recens, dum Capitolium	5
scandet cum tacita uirgine pontifex. dicar, qua uiolens obstrepit Aufidus et qua pauper aquae Daunus agrestium regnauit populorum, ex humili potens	10
princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos. sume superbiam quaesitam meritis et mihi Delphica lauro cinge uolens, Melpomene, comam.	15

Text 4: Plin. *epist.* 7, 29 (ed. R. A. B. Mynors, Oxford 1963)

C. PLINIUS MONTANO SUO S.

1 Ridebis, deinde indignaberis, deinde ridebis, si legeris, quod nisi legeris non potes credere. 2 Est via Tiburtina intra primum lapidem (proxime adnotavi) monumentum Pallantis ita inscriptum: 'Huic senatus ob fidem pietatemque erga patronos ornamenta praetoria decrevit et sestertium centies quinquagies, cuius honore contentus fuit.' 3 Equidem numquam sum miratus quae saepius a fortuna quam a iudicio proficiscerentur; maxime tamen hic me titulus admonuit, quam essent mimica et inepta, quae interdum in hoc caenum, in has sordes abicerentur, quae denique ille furcifer et recipere ausus est et recusare, atque etiam ut moderationis exemplum posteris proderet. 4 Sed quid indignor? Ridere satius, ne se magnum aliquid adeptos putent, qui huc felicitate perveniunt ut rideantur. Vale.

Siehe dazu Plin. *epist.* 8, 6

Text 5: Tac. *ann.* 12, 53 (ed. H. Heubner, Stuttgart 1983)

53. Inter quae refert ad patres de poena feminarum, quae servis coniungerentur; statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsa<e> in servitute, sin consensisset, pro libertis haberentur. Pallanti, quem repertorem eius relationis ediderat Caesar, praetoria insignia et centies quinquagies sestertium censuit consul designatus Barea Soranus. additum a Scipione Cornelio grates publice agendas, quod regibus Arcadiae ortus veterrimam nobilitatem usui publico postponeret seque inter ministros principis haberi sineret. adseveravit Claudius contentum honore Pallantem intra priorem paupertatem subsistere. et fixum est <aere> publico senatus consultum, quo libertinus sestertii ter miliens possessor antiquae parsimoniae laudibus cumulabatur.

Text 6: Petr. 29, 3-8 (ed. K. Müller, München/Leipzig 2003)

29. ceterum ego dum omnia stupeo, paene resupinatus crura mea fregi. ad sinistram enim intransibus non longe ab ostiarii cella canis ingens, catena vinctus, in pariete erat pictus superque quadrata littera scriptum 'cave canem'. et collegae quidem mei riserunt, ego autem collecto spiritu non destiti totum parietem persequi. erat autem venalicium <cum> titulis pictum, et ipse Trimalchio capillatus caduceum tenebat Minervaque ducente Romam intrabat. hinc quemadmodum ratiocinari didicisset deinceps dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat. in deficiente vero iam porticu levatum mento in tribunal excelsum Mercurius rapiebat. praesto erat Fortuna <cum> cornu abundanti [copiosa] et tres Parcae aurea pensa torquentes. notavi etiam in porticu gregem cursorum cum magistro se exercentem. praeterea grande armarium in angulo vidi, in cuius aedicula erant Lares argentei positi Venerisque signum marmoreum et pyxis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius conditam esse dicebant...

interrogare ergo atriensem coepi, quas in medio picturas haberent. 'Iliada et Odyssean' inquit 'ac Laenatis gladiatorium munus'.

Text 7: Petr. 71 in Ausschnitten (ed. K. Müller, München/Leipzig 2003)

Trimalchio spielt auf seinem Fest das eigene Begräbnis. Zuerst verfügt er die Freilassung von Sklaven, es folgt die Beschreibung des Grabes:

.... et haec ideo omnia publico, ut familia mea iam nunc sic me amet tanquam mortuum'. Gratias agere omnes indulgentiae coeperant domini, cum ille oblitus nugarum exemplar testamenti iussit afferri et totum a primo ad ultimum ingemescente familia recitavit. Respiciens deinde Habinnam: "Quid dicis, inquit, amice carissime? Aedificas monumentum meum quemadmodum te iussi? Valde te rogo, ut secundum pedes statuae meae catellam pingas et coronas et unguenta et Petraitis omnes pugnas, ut mihi contingat tuo beneficio post mortem vivere; praeterea ut sint in fronte pedes centum, in agrum pedes ducenti. Omne genus enim pomarum volo sint circa cineres meos, et vinearum largiter. Valde enim falsum est vivo quidem domos cultas esse, non curari eas, ubi diutius nobis habitandum est. Et ideo ante omnia adici volo: HOC MONUMENTUM HEREDEM NON SEQUATUR. Ceterum erit mihi curae, ut testamento caveam ne mortuus iniuriam accipiam. Praeponam enim unum ex libertis sepulchro meo custodiae causa, ne in monumentum meum populus cacatum currat. Te rogo, ut naves etiam <in fronte> monumenti mei facias plenis velis euntes, et me in tribunali sedentem praetextatum cum anulis aureis quinque et nummos in publico de sacculo effundentem; scis enim, quod epulum dedi binos denarios. Faciatur, si tibi videtur, et triclinia. Facies et totum populum sibi suaviter facientem. Ad dexteram meam pones statuam Fortunatae meae columbam tenentem, et catellam cingulo alligatam ducat, et cicaronem meum, et amphoras copiosas gypsatas, ne effluent vinum. Et urnam licet fractam sculpas, et super eam puerum plorantem. Horologium in medio, ut quisquis horas inspiciet, velit nolit, nomen meum legat. Inscriptio quoque vide diligenter si haec satis idonea tibi videtur:

C. POMPEIUS TRIMALCHIO MAECENATIANVS HIC REQUIESCIT
 HVIC SEVIRATVS ABSENTI DECRETVS EST
 CVM POSSET IN OMNIBVS DECVRIIS ROMAE ESSE TAMEN NOLVIT
 PIVS FORTIS FIDELIS EX PARVO CREVIT SESTERTIVM RELIQVIT
 TRECENTIES NEC VNQVAM PHILOSOPHV AVDIVIT
 VALE ET TV "

Text 8: Stat. *silv.* 3, 3 in Auswahl (ed. E. Courtney, Oxford 1990)

sed neque barbaricis Latio transmissus ab oris:
 Smyrna tibi gentile solum, potusque verendo 60
 fonte Meles Hermique vadum, quo Lydius intrat
 Bacchus et aurato reficit sua cornua limo.
 laeta dehinc series variisque ex ordine curis
 auctus honos, semperque gradi prope numina, semper
 Caesareum coluisse latus sacrisque deorum 65
 arcanis haerere datum. Tiberea primum
 aula tibi vixdum ora nova mutante iuventa
 panditur (hic annis multa super indole victis
 libertas oblata venit), nec proximus heres,
 immitis quamquam et Furiis agitatus, abegit. 70
 hinc et in Arctos tenuis comes usque pruinas
 terribilem adfatu passus visuque tyrannum
 immanemque suis, ut qui metuenda ferarum
 corda domant mersasque iubent iam sanguine tacto
 reddere ab ore manus et nulla vivere praeda. 75
 praecipuos sed enim merito surrexit in actus
 nondum stelligerum senior dimissus in axem
 Claudius et †longo† transmittit habere nepoti.
 (...)
 iamque piam lux alta domum praecelsaque toto 85
 intravit Fortuna gradu; iam creditur uni
 sanctarum digestus opum partaeque per omnes
 divitiae populos magnique impendia mundi,
 quicquid ab auriferis eiecat Hiberia fossis,
 Dalmatico quod monte nitet, quod messibus Afris 90
 verritur, aestiferi quicquid terit area Nili,
 (...)
 (...); sed iura tamen genialia cordi
 et mentem vincere toris ac iungere festa
 conubia et fidos domino genuisse clientes. 110
 quis sublime genus formamque insignis Etruscae
 nesciat? haudquaquam proprio mihi cognita visu,
 sed decus eximium, famae par, reddit imago
 vultibus et [sibimet] similis natorum gratia monstrat.

Text 9: Mart. 7, 40 (ed. D. R. Shackleton Bailey, Stuttgart 1990)

Hic iacet ille senex Augusta notus in aula,
 pectore non humili passus utrumque deum;
 natorum pietas sanctis quem coniugis umbris
 miscuit: Elysium possidet ambo nemus.
 occidit illa prior uiridi fraudata iuuenta: 5
 hic prope ter senas uixit Olympiadas.
 sed festinatis raptum tibi credidit annis,
 aspexit lacrimas quisquis, Etrusce, tuas.